

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Dissertationem De Coeliaca Passione, Gratioussimae  
Facultatis Medicae Indultu**

**Kummer, Johann Gabriel**

**Basileae, 1709**

Thesis VIII., IX.

[urn:nbn:de:bsz:31-41461](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-41461)

affectum hunc inter symptomata recensendum esse, & quoniam hæc triplicia habemus, actionis scilicet, qualitatis mutata, excretorum atque retentorum, præcipuè ad primum, tum etiam tertium illorum, passionem cœliacam referendam esse arbitramur: cum verò omnis actio iterum tripliciter lædi possit, dicimus hac in affectione secretionem chyli à fœcibus alvinis, vel ejusdem in vasa lactea distributionem, vel tantum non aboleri, vel graviter imminui, dum non omnis chylosa portio in vasa lactea recipitur, & propellitur. Neutiquam verò omnem chylum cum fœcibus excidere, sed quoque insignes portiones adhuc dum Massæ sanguineæ (nisi malum gravissimum fuerit) infundi, probant habitus corporis tractu temporis demum consumi incipiens, vires ad deambulandum aliasque actiones perficiendas aliquandiu sufficientes, urina naturali similis, aliaque his affinia. Potest etiam dici symptoma in excretis, quia alvus frequentius, quàm par est dejicitur, præterea tale quid excernitur, quod naturaliter deberet retineri.

#### T H E S I S V I I I .

Symptoma hoc morbum organicum ut plurimum pro matre agnoscit, videlicet obstructionem ductuum, præprimis bilarii, vel pancreatici, vel glandularum intestinalium, vel coalescentiam heic illic vasculorum lacteorum: ab obstructione supra dictorum ductuum, bilis & lymphæ pancreaticæ in intestinum duodenum influxus necessarius impeditur, sicque separatio utilium ab inutilibus minus ritè procedit: ab obstructione verò vel coalitione vasorum lacteorum, chylus omnis uti deberet non distribuitur, unde fieri aliter nequit, quin vel materia chylosa fœculentæ confusa, vel particula fœcibus alvinis solidiusculis innatantes vel permixtæ excernantur.

#### T H E S I S I X .

Ut proin in hac affectione chylum ipsum plus minus substantialiter, sive à fœcibus alvinis solutum & separatum, cum iisdem per alvum excerni firmiter afferam, succum nimirum illum lacteum, qui in materiam & fomentum succi nutriticii



ritii pro toto corpore faceſſere deberet, ut mirum non ſit ſi ab ejuſdem majore defectu facies palleſcere, corpus emaciari, viresque labafcere ſoleant, ceu in cauſarum examine magis patebit.

#### T H E S I S X.

Cauſas hujus affectus diſpeſcimus in proximam & immediatam, & hinc in remotiorem ſeu antecedentem & procatarticas. Cauſa immediata chyli à ſacibus alvinis ſecretionis laſa & hinc cœliacæ paſſionis proxima, eſt in primis chyli, imò & bilis viſcoſitas & inertia aut etiam lymphæ pancreaticæ & inteſtinalis, vel eorundem influxus in inteſtina tenuia præpeditus, ob mucaginem viſcidam, vel glandularum poros, vel etiam dictorum ductuum orificia obturantem: diſtributionis verò chyli ſufflaminatæ cauſa proxima, vel in obſtructione orificiorum vaſculorum lacteorum, à materiâ tenaci, vel eorundem coalitione poſt præviam exulcerationem quærenda eſt: in primis autem magna eſt ſupra dictorum in inteſtinum tenue humorum affluentium utilitas, utpote à quibus alimenta, in ventriculo ſoluta magis diluuntur, & ab eorundem particulis activis continuatâ inteſtinâ agitatione magis ſubiguntur, & præcipuè particulæ chyloſæ dulces & oleoſæ interventu bilis blandè volatilis & oleoſæ cum aqueis & terreſtribus, legitime combinantur; unde hac actione præpeditâ ac fatiſcente, neque particulis homogeneis ab heterogeneis, uti decet ſecretis, ab iſtarum acrimoniâ fibræ inteſtinales facilè vellicantur, & inde fluxui huic janua aperitur: ubi verò vaſculum unum alterumve vel obſtructum eſt, vel coaluit, etiamſi ſaculentæ invicem combinentur & conſiſtentiam aliquam nanciſcantur, chyli tamen particulæ, dicta orificiola præterlabentes, iisdem in natate ac miſceri, & cum illis excerni poſſe evidens eſt.

#### T H E S I S X I.

Inter cauſas antecedentes numeranda eſt, partim Humoralis Maſſæ diſcraſia acido-viſcida, ob quam particulæ ferroſo-viſcidæ in ſanguine cumulantur & copioſè ad ſupra dictas glanduloſas partes ablegantur, hepar nempe, pancreas & in teſtinales glandulas: partim etiam morbi præcedanei,  
uti